


CAP. III.

De Generali Angelorum differentia, ac tum postea de particulari Angelorum bonorum diuisione.

Cum notum atque tritum sit, non modo ab ipsorum Christianorum, sed etiam Ethnicorum experientia, daemones esse tam malos (quos cacodaemones vocant) quam bonos: In primis intelligentias secundum hanc generalem ipsorum diuisionem à proprietatis & conditionis contrarietate distinguere operæ pretium existimauimus. Quare angelos in prima radice ita distinguimus.

Distinguimus Angelos in { Bonos seu Lucidos vid. A.
 { Malos & tenebrosos. De quibus cap. seq.

Magna istiusmodi in Angelica conditione contrarietas indiuerſa creatoris proprietate consistit, quæ variatur secundum decem nomina à Hebræis ei iuxta sacri Biblii sensum attributa, iuxta quorum dispositiones varij fiunt per sephirotas seu numerationes, seu portas luminosas in hunc mundum influxus, quorum alij tendunt ad clementiam & benignitatem, qui deorsum feruntur, mediantibus angelis bonis, vti illi qui ad seueritatem inclinant, ad angelos referuntur punientes, & ictu iracundiæ diuinæ ferientes: vti inferius vbertim: secundum has duas proprietates oppositissimas scientiam variam inuenerunt mundani, videlicet Boni, quæ in Deo totius bonitatis fonte & suis angelis administratoriis bonis versatur: & Mali quæ circa Diaboli, qui est totius malitiæ seu tenebrosorum effectus negotiator, quam vti methodice vobis delineemus in distinctionem hanc compegimus.



Sed ad propositum, Angelos bonos varieformiter distinguimus, secundum mundi dimensionem variam, hoc est iuxta cælorum ordines, ex quibus conflatur mundus.

Angeli